DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

EPILEPSIA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOSEPHUS GODWIN,

VIRGINIENSIS.

Prid. Id. Junios, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXIX.



FRANCISCO HOME, M. D.

MATERIAE MEDICAE ET MEDICINAE,

IN ALMA ACADEMIA EDINENSI,

PROFESSORI,

VIRO INGENIO, LITERIS,

PROPRIAE ARTIS PERITIA, ET

HUMANITATE, NEMINI SECUNDO;

CUM OB DOCTRINAM QUA SE PRAECEPTOR

IMBUIT,

TUM PROPTER BENEFICIA QUIBUS

AMICUS SE DIGNATUS EST;

HOC PRIMUM STUDIORUM PROFECTUS

EXEMPLUM GRATO ANIMO ET

STUDIO VERO

D. D. C.

JOSEPHUS GODWIN.

TENTAMEN MEDICUM

DE

EPILEPSIA.

MORBUM de quo ſcripturus ſum, Graeci plerique, ut et recentiores fere omnes, epilepſiam; alii μεγαν alii ἱερον, alii hoc Latine reddentes ſacrum; alii caducum, alii herculeum, alii comitialem, alii lunaticum, alii ſonticum, infantilem alii, alii aliter adpellarunt. Nobis epilepſia vocabulum, quia inter praeſentes medicos uſitatius id eſt, potius eſſe et reliquis anteponendum videtur.

DEFINITIO.

EPILEPSIA eſt morbus in convulſione conſiſtens, per circuitus rediens, membra variis et miris modis concutiens, et omnes ſenſus,

omnes

omnes animi facultates, pro tempore penitus extinguens.

HISTORIA.

Sic definita epilepſia, proximum eſt, hiſtoriam ejus pertexere, quae ſit morbi facies exponere, et omnia, quae in eo adparent, quo illuſtrior et clarior ejus natura ſit, plenius percurrere. Cum autem, ut dictum eſt, morbus circuitus habet, et acceſſionem vicinam haud pauca praenuncient, ex his rectius incipere videtur.

Accessione appropinquante, primum omnium caput affici ſolet, idem gravari, et vertigine circumrapi ſentiri; vultus tumere, interdum pallere; ſcintillant oculi; quorum album ſaepe rubra macula, magis atque magis ad juſtam uſque acceſſionem creſcente et latius ſerpente, diſtinguitur; eorundem intenditur acies; viſus obſcuratur, et globulorum igneorum aut formarum rerum exilium ſimulacris eluditur; aliquando omnino perit. Iris purpureum, nigrum, varium colorem induit. Tinniunt aures; aegre auditur; ingrati odores et ſapores ſentiuntur. Voces juſto vel tardiores vel celeriores profuſa ſaliva mittuntur.

tur. Colli venae diſtenduntur. Poſtremo omnes ſenſus deficiunt. Neque partes, quae infra ſunt, noxae immunes permanent, ſed mixtis malis cum aliis morbis ſpaſmodicis, et prae caeteris hyſteria aut hypochondriaſi communibus, alios homines aliter adficientibus, et faciem aliter atque aliter mutantibus, premuntur. Itaque locus inter ſcapulas dolet, aut etiam convellitur. Venter introrſum retrahitur. Tendines ſubſiliunt, cor et omnia membra tremunt, oſcitatio et ſpiritus difficilis urgent. Extrema frigeſcunt. Tenditur praeter naturam coles. Ab hypochondriis, ab extremis aut imis partibus aurae cujuſdam aut vaporis calidi, ſuperiora et ſumma adſcendentis, ſenſus ſaepe percipitur. Quin et excretiones perturbantur: Nam, praeter ſalivam, ut modo dictum eſt, profuſam, alvus foetida et male olentia reddit. Urina cruda et juſto copioſior effertur.

Per immunda ſomnia ſemen noctu rejicitur. Ad haec praecordia ſaepenumero inflantur. Venter intumeſcit obmurmuratque; cibi vel plus vel minus juſto deſiderantur. Alii iracundia excientur; alii moeſtitia aut formidine deprimuntur; alii anxiis curis diſtrahuntur; alii gaudio, riſu inepto, et cachinnis immanibus efferuntur; alii harum omnium

um affectionum intra breve temporis punctum vices percurrunt. Somnus vel justo profundior, vel e contrario vigiliae vicinus horrendas rerum imagines aegro animo objicit. Neque dirus incubus non subinde suos terrores addit.

Quibus malis usque crescentibus, accessio tandem incidit. Quo facto, homo repente, omnibus sensibus et animi facultatibus deletis, cum gemitu prosternitur. Convulsiones indomitae universa corporis obtinent; musculos vultus, qui in omnes facies varie contorti, nunc hos, nunc illos animi sensus, dolorem, gaudium, iram, amorem, et similia exprimere videntur; maxillas adeo concurrentes, ut dentium stridorem semper, aliquando ut hi praefringantur, efficiunt; linguam immobiliter exertam, et cujus pars interdum collisis dentibus praecidatur; vultum, quem livor nigredini vicinus a labiis et sinubus oculis subjectis incipiens totum mox suffundit; palpebras, diris modis commotas, sed nunquam ita conclusas quin album adpareat; os, quod, initio praevalente spasmo, siccum est, postea, hoc necdum soluto, salivam solam effundit; pulmones spiritum aegre, laboriose, et onera tollentium aut magnis viribus enitentium instar, peragentes; postremo, pollices in cavam

manum

manum inflexos. Neque cordis et arteriarum vires labis expertes reperiuntur, quorum ſaepe percuſſus primum citi et parvi, mox magni et tardi, ſed ſine valida vi, iidem obſcuri plerumque quoſque vix explores ſunt, juſto ordine ſemper carentes. Denique, vultus venae, item pectus et venter, intumeſcunt. Poſtremo, hic quoque excretiones perturbantur; nam pro ſaliva, quae ante profuſa eſt, ſpuma nunc bullulans ore volvitur. Item ſtercus, urina, ardente corpore ſudor et ſemen reſoluta naturae vi, ſponte efferuntur. Neque vomitus non aliquando incidit.

Tandem tanta malorum vis paulatim decedit. Jamque non mortis amplius aut conditionis moribundae imago, ſed ſomnus, ut integrior, ita nondum ſatis integer, quin apoplecticum referat, rurſus demum redit. Facilior fit ſpiritus. Et interpoſita mora, omnium quae paſſus ſit immemor, ad ſeſe homo redit. Pauci ſenſuum aut valetudinis integritatem protinus, ſoluta acceſſione, adipiſcuntur. Pleroſque artuum omnium cum torpore languor, animi ſtupor, dolor capitis, oculorum hebetudo et caligo, aliquantum temporis aegre atque moleſte habent. Temporum acceſſionibus interpoſitorum ſpatia admodum inaequalia ſunt; aliis in dies aut eodem die ſaepius in

morbum,

morbum, aliis poſt ſingulos menſes, aut multo ſaepe longius, ſolum implicatis; ut ne in eodem quidem homine ordo circuituum ſibi conſtare aut idem eſſe deprehendatur. Neque acceſſionis tempora minus inaequalia ſunt, pleriſque pauca minuta, nonnullis totos dies, conflictantibus *.

MORBI SEDES.

SUPRA comprehenſa, originem morbi in cerebro conſiſtere, eoque omnes cauſas remotas dirigi, omnia demonſtrant. Quid enim aliud ſigna plenitudinis capitis primum omnium prodeuntia tanto magis, quanto propius inſtat acceſſio, increſcentia ſenſibus omnibus, animique facultatibus pro rata parte officientia, et haec in plena acceſſione penitus demum delentia, niſi vitae ſedem, corporis et animi actionum fontem, laborare ſignificant? Porro, genus affectus, quo premitur cerebrum in pleno aut turgeſcente hujus habitu plerumque conſtare, cum ex iiſdem ſignis diſcendum eſt, tum de effectu cauſarum remotarum jam di-

* Apud Lieut. lib. 3. obſ. 476. unus adoleſcens 5 dies integros ſenſibus et motu privatus, periit.

cenda,

cenda, et argumenta ex visis in cadaveribus, et aliunde tracta, ut spero, verisimile reddent. Quod ad signa attinet; quid capitis gravitas, ejus tanquam vertigo, quid vultus tumor, quid oculi scintillantes, quid rubra in oculorum albo macula latius serpens quo propius accessio adest, quid erecta et intenta eorum acies, quid denique igneorum globulorum iisdem objectae imagines et similia, quaeso; postremo, quid vultus venae in media ipsa accessione turgentes, si non turgere quoque cerebrum, ostendunt? Ad haec accedit, quod iis ipsis praecedentibus morbum qui paulo sit diuturnior, si non semper, tamen longe saepissime oriri, vix quisquam dixerit; quod si exempla contrarii argumenti postmodo cernentur, ea haud difficile explicare, ratione nervosae doctrinae habita, poterunt.

Sed priusquam ad sedem morbi ex visis in cadaveribus constituendam procedatur, quibus finibus et terminis nostra morbi notio contineatur definiendum est.

Morbum vix unquam sympatheticum, plerumque vel idiopathicum vel usteropathicum esse.

Nonnulli medici, ut complures alios morbos,

bos, ita hunc quoque, in idiopathicum de quo loquimur et ſympathicum, diducunt. Itaque LIEUT. lib 2. obſ. 266. "Quidam, inquit, aſthmaticus per plures annos fere ſemper decumbens, ſtatis horis omni carens ſpirandi difficultate, tandem inter graviorem inſultum fato conceſſit. Pulmo dexter calculis miliaribus ſcatens, aquae citrinae copioſiſſime innatabat." Is inſultus a SHENKIO, unde obſervatio tracta eſt, epilepticus fuiſſe, hominem peremiſſe, et pro ſympatheticae epilepſiae exemplo habendus eſſe, dicitur. Quae opinio temeraria mihi videtur; ſi quidem ipſe ejus auctor, qui non etiam cerebrum inciſum exploravit, nihil illic aquae ſuffuſum, nec oppreſſo cerebro morbum natum, ne quidem dixerit. Neque veriſimilius quicquam eſt, quam ſanguinis per pulmonem iter impeditum effuſae in cerebrum aquae cauſam extitiſſe, atque, ut alios, ita hunc morbum effeciſſe. Item BONETUS, ut apud eundem LIEUT. libro. 2. obſ. 160. videre eſt, "puellam vix annum natam, diarrhoea, vomitu, et hypochondrii dextri duritie, febricula, ſiti, et capitis dolore conflictantem, noctes inſomnes egiſſe, et, epilepſia ſuperveniente, e medio ſublatam eſſe, tradit. Verum haec etiam, minus quam illa quae modo memorata eſt, ſympathetica epilepſia fuit; ſiquidem

ſiquidem, inciſo mortuae cadavere, praeter alia viſcerum vitia, cerebrum aqua inundare repertum eſt. Haec igitur epilepſiae ab aliis morbis illatae exempla ſunt, neque noſtram movent opinionem. Nam, licet cerebrum non ante petitum ſit, tamen epilepticum nihil, niſi eo jam adfectus participe, adparuit. Eſtque hoc genus non idiopathicum quidem, ſed uſteropathicum, cujuſque curatio nihil idiopathicae differt, niſi quod morbus, qui cerebri labis in cauſa fuerit, ſimul ſit tollendus. Quin et cavendum, ne alii morbi, cum epilepſia caſu incidentes, pro ejus cauſa habeantur. Itaque alibi apud Lieutodium, ſupra relatum virum, epilepſia pulmones inflammatos ſecuta eſſe videretur. Nam et tuſſis ſicca fuit, et, inciſo poſtea cadavere, inflammationis ſigna apparuerunt. Sed haec pro ſympathetica epilepſia non eſt habenda; quoniam ipſius cerebri abſceſſus fuit. Duoſque morbos, pulmonum et cerebri ſimul, et caſu tantum incidiſſe manifeſtum eſt. Non tamen diſſimulandum eſt, talem epilepſiam, qualis ſympathetica adpellatur, incidere quidem poſſe. Et, praeterquam quod id fieri poteſt, revera factum, obſervatio 1668 primo libro ejuſdem quem retuli ſcriptoris, a La Motio Gallo petita, haud obſcure docet. Ubi puellae epilepſia mortu-

ae inſpectum cerebrum nihil praeter naturam oſtendit; in pelve renis dextri calculus triqueter, quinque drachmas pendens, inventus eſt. Qui, praeter inſolitam magnitudinem, diu permanendo et per conſenſum cerebrum adficiendo, feciſſe morbum videatur. Nonne tamen cerebrum, cujus ultima fabrica noſtros oculos quavis arte adjutos penitus fugit, vitiari, latente nos vitio, ſuſpicandum eſt? Verum etiam, epilepſia, niſi a cerebri vitio orta, quia non ſolum anceps et rara eſt, ſed ſublatis a quibus pendet morbis curanda, a noſtro propoſito aliena eſt, de vera epilepſia in cerebri vitio conſiſtente ſolum dicturis; ideoque tam idiopathicam quam uſteropathicam comprehenſuris. Quam quidem in cerebri turgente aut pleno habitu plerumque conſiſtere, ut eo unde abii redeam, ut ſupra dictum eſt, in cadaveribus viſa et cauſae remotae demonſtrant.

Ad quod probandum, primum de cauſis remotis, quas in pleno cerebri habitu conſiſtentes experimenta in clariore lumine poſuerunt, verba faciam; poſt quod, an contrarius aut alius cerebri ſtatus eundem morbum inferat, anquiram. Cauſae autem quas nunc adgredior intra ipſum cerebrum conſiſtunt, et partim proprie remotae, ſeu principia

Gaubiana,

Gaubiana, partim occasionem noxae offerentes, seu ejusdem viri potestates nocentes sunt.

Causae remotae in ipso Cerebro excitantes.

Causae remotae, sic latius comprehensae, hujus morbi, quae pleniorem habitum designant, ad sex capita redeunt; quae, ut postea spero adparebit, in unam, si non constituentem et ultimam, saltem praecipuam et maxime communem, morbi causam coibunt. Primi sunt stimuli mechanici; alteri chemici; dein sanguinis circuitum aut pervios generis nervosi usus intercipienta aut comprimentia; tum vasa nimio sanguine repleta; vasis denique hic effusus; postremo iisdem serum effusum.

I. Quod ad primum caput attinet, stimulos varios, quales sunt teli quo vulnus inflictum sit fragmenta, cranii fracti particulae, aut hoc ipsum intro pressum naturave angustius *, ab eodem excrescentia ossea †, meninges in cartilagineam circa sinus venosos ‡, aut osseam ||, naturam

* Tho. Barth. 67. cent. 4. misc. N. C. D. I. A. W. A. V. obs. 35. Boerh. morb. nerv. tom. 2. p. 795. Idem ex Ballom. refert. Apud eundem ob angusta matris naturalia caput partus compressum postea epilepsiae causa fuit. Boer. lib. c. 4. p. 794.

† Van. Swiet. loc. citat.

‡ Tho. Barth loc. citat.

|| Lieut. lib. 3. ob. 48. et 50.

naturam conversae; quicquid denique ad cerebrum irritandum valet, epilepsiam facere constat. Ex quibus, quia quaedam sine seminio aut habitu epilepsiae opportuno hanc inferunt, neque constanter in omnibus hominibus idem effectum praestant; ideo morbum magis stimuli propriae actioni et parti cerebri stimulatae, quam absolutae ejus potestati, deberi opinor.

II. Neque minus ad idem effectum stimuli chemici valent. Itaque meningem *, aut ipsius cerebri † suppurationem et abscessum ‡ aut cranii cariem ||, acrem et erodentem materiam § gignentia, item venena **, epilepsiae causam fuisse, infinita testimonia sunt. Neque tamen haec sola acri natura, ut vulgo credi solitum est, perpetuo agere videntur; siquidem citati ad cerebrum sanguinis aut inflammationis habitus effecta esse plerumque cernuntur. Nam diu post epilepsiam natam saepe non incidunt; ubi tamen sanguinis sursum impetus aut inflammationis notae non defuerant ††.

* id lib. 3 ob 17. 18.

† Fernel. pathol. l. 5 c. 3. 20.

‡ Lieut. lib. relat. obs. 106. ex Boder. 118. 16*. 528. 534.

|| Id lib. 4. 27.

§ Van. Swiet. loc. cit. p. 419.

** Cicutam aquatic. Eph. N. C. D. 2. A. p. 225

†† Culleni praelect. clinic.

III. Ad tertium caput pertinent fungofi durive tumores, item varia ad cerebrum congefta, et ex duobus prioribus capitibus quicquid neque ftimulat neque partis naturam commutat; quale eft partium, quae natura molliores funt, praeter hanc in offeam duritiem converfarum compreffio. Itaque in Actis Parifienfibus, corpus quoddam glandulofum, fabae circiter magnitudinis, in corpore ftriato dextro fitum *, hominem adolefcentem epilepfia, et varia farcomata, cerebri involucris adnata, complures † adfeciffe, in Mifcellaneis Curioforum, legimus. Hic autem monendum eft, offea excrefcentia, quae ad ftimulantes aut excitantes caufas fupra retuli, poffe interdum ftimulo carere; quod ubi fit, pro comprimentibus habenda funt, et ad hanc partem referenda ‡. Eaedem funt quoque apoplexiae aut paralyfeos epilepfiam faepe fequentium, faepe in eam fimul coincidentium, caufae communes. Compreffio igitur quae in illis morbis cerebri collapfum, feu conditionem parum excitatam, in hoc reactionem aut motum refufcitatum, creare videtur.

Utut

* Lieut. lib. relat. obf. 221.

† Ibid. 224.

‡ Cull. praelect. pract.

Utut hoc ſit, dubium certe non eſt, quin epilepſia, quoties apoplexiam hydropicam praecedit, in collapſu conſiſtat.

IV. QUARTAM epilepſiae cauſam, vaſa ſanguine abundantia poſuimus. Quod genus in duas porro partes diſcedit. Nam et parvae arteriae ſanguine, quae prioris inflammationis nota eſt, turgeſcunt *, et epilepſiam inferunt. Ad quam partem multa convulſionum exempla pertinere, et pro vera epilepſia habenda eſſe, videntur. Altera pars eſt, ubi non in exiguis arteriis, ac vix in majoribus quidem, ſed in cerebri venis, ſanguis ſtagnans coit. † Verum hujus cauſae exempla vix ab ea quae ſequitur, atque a noviſſima, quippe ubi vel ſanguis ‡ vel ſerum || extra vaſa ruiſſe, inciſis cadaveribus, reperta ſint, bene ſegregrantur.

V. ERGO, ut ad quintam cauſarum remotarum caput properetur, ſanguinem vaſis effuſum hujus morbi originem eſſe, non deſunt millia documenta §; ſed, ut modo dixi, nunc cum quarto, de quo modo dictum eſt, nunc cum tertio

* Lieut. lib. cit. obſ. 280, 282.

† Id 173, 243, 272. et in aliis locis.

‡ Id. 243, 280.

|| Id. 376. 377.

§ Id. 235, 236, 243, &c.

tertio capite conjunctam. Nam, in plerisque quae incisis cadaveribus visa sunt, simul sanguis vasis intus abundare, simul extra eadem erravisse deprehensus est; et in nonnullis comprimentia, ut tumores et similia, non defuerant.

VII. Porro sextum caput, quod serum effusum pro epilepsiae causa statuit, nunc cum quinto, nunc cum quarto, saepe cum utroque, aliquando cum tertio, aut omnibus his conjungitur *. Sub sero materiam gelatinosam, et omnes humores sine colore qui sunt, comprehendo. Illam autem serum esse, humor per vesicatoria eductus, gelatinam saepe referens, ostendit. Hujusmodi humor modo inter membranas cerebri †, modo in ipsum hoc infra membranam, quae pia mater dicitur ‡, modo in ventriculos effunditur, modo per totum cerebrum, et in medullosa et in corticali parte diffunditur. Estque ubi pustulis quoque || concluditur. Idem modo sanguine aut hoc grumoso tinctus §, modo in puri seri aut aquae forma **, modo

* Exempla tertii, 4ti, 5ti, et 6ti apud. Lieut. lib. 3. obs. 266.

† Ibid. obs. 236. ‡ 454, 480, 482.

|| Lieut. ibid. 454.

§ 266. ** 236.

do nigri aut fubviridis coloris *, modo gelatinofus craffus et albefcens †, modo praeter craffitudinem lymphae inftar mucofus ‡, modo perquam vifcidus et tenax quafi gypfeus; ‖, aliufque in aliis cadaveribus, reperitur. Interdum ad vifcidam naturam adipis § aut pituitae concretae ** fimilitudo quaedam accedit. Ad haec capita omnes fere caufae cum epilepfia diuturniore conjunctae pertinent.

Quomodo hae caufae in communiorem coeant.

QUAE caufae, licet natura et agendi ratione difcrepare videantur; tamen, fi non in unam eandemque caufam proximam coeant, ad unam communem et frequentius incidentem haud ambigue ducunt. Quod dictum quo magis illuftrem, a quintae partis caufis initium faciam. Eae omnes perniciem femper plerumque apoplexia illata trahunt. Neque tamen hic non eft monendum, in contemplatione cadaverum inciforum, faepe effecta pro caufis fallere. Quorum utique hic ufus, ut ad veras caufas ducant; perinde ac in hac re. Epilepfia

* 376. 398. 399. † 476. ‡ 480. ‖ 401.
§ 491 ** 492.

pilepsiae enim quae totos annos permanserit origo sanguis effusus esse nequit. Est igitur effectus, ad causas quarti capitis, scilicet vel sanguinem in arteriolis citatum, vel in venis stagnantem, quasi filo investigantes, regens. Causa vero, quarto loco comprehensa, satis frequenter epilepsiam diuturniorem gignere, eo judico; primum, quod inciso cerebro vasa hujus vel turgida esse, vel, quod ejusdem rei effectus est, sanguinem effudisse, frequentius reperiuntur *; dein quod causae procatarcticae maxime communes, quales sunt phrenitis †, ira vasa cerebri sua natura adimplens ‡, calor sive solis sive alius ||, motus §, exercitatio insolita **, crapula ††, venus ‡‡, postremo consueta omnium generum profluvia suppressa ||||, plenum cerebri habitum ideoque quartum causarum caput saepissime subesse, omnia confirmant. Postremo, eandem rem curatio epilepsiae longe frequentissima confirmat, quae multo saepius humoris detractione, quam ulla alia ratione perficitur §§. Quam rem MORGAG-

 NIUS

* Apud Lieut. et Morgan. passim. † Bonet. lib. 2 p. 283. ‡ Cull. praelect. clin. || id. loc. relat. Hippoc. de morb. sacr. ch. tom. 10. p. 482. § id. loc. citat. ** Cull. loc. rel. †† Shenk, p. 101. Cull. loc. relat. ‡‡ Van. Swiet. lib. cit. p. 412. |||| Cul. loc. rel. §§ Cul. loc relat.

NIUS, de epilepſiae exemplo in effuſione conſiſtente et in apoplexiam converſo, loquens, bene illuſtrat. ALBERTINUS, ejus praeceptor, eo teſte, adeo a capitis epilepticorum habitu turgente metuebat, ut pleroſque ſuae curae commiſſos, nullo ſtimulo, ne ſalis quidem cornu cervi, vel in media acceſſione, naribus admoti, tractaverit. Ergo quartum et quintum epilepſiae exemplum, ſaltem ita in unam originem morbi coeunt, ut hanc plenum et turgens ſanguine cerebrum eſſe demonſtrent. Neque cauſa ſexto capite relata in epilepſiis diuturnioribus, ab iis de quibus dictum eſt, diverſa eſſe plerumque cenſenda eſt. Serum enim effuſum pariter ac ſanguinem, ſi diligentius attendas, et plurima experimenta conſulas, non pro cauſa ſed cauſae effectu habebis; idem porro ad eandem originem, ſcilicet cerebri habitum, jam ante ſanguine turgentem, retro ducit. Quoties autem ſerum in ullo corporis loco vaſis effuſum eſt, cauſam ad ſanguinis venoſi impedimenta rejicere licebit, et in cerebro etiam magis, ubi per venas ſolas reſorptio perficitur. Itaque ſanguis arterioſus impeditus in vaſa ſeroſa juſto copioſior effertur. Quin et idem fieri poteſt, ubi in arteriis ſanguis citatur; id quod multarum inflammationum alibi, et phreniti-

dis

dis in cerebro, exempla edocent. Item vulnerato aut contuso cerebro, aqua effundi solet, ut apud LIEUTODIUM videre est. VALSALVA sanguinem simul, simul serum effusa, in epilepsia perempto, et turgidum cerebri statum deprehendit. Reque vera pleraque sanguinis effusi exempla seri quoque effusi sunt *. Mulier quaedam, cujus idem mentionem facit, ex haemoptoe in epilepsiam exitialem incidit. Cadavere inciso, vasa cerebri turgebant, effusoque sero omnia madebant. Verique simile est, habitum haemorrhagicum, qui ei in pulmonibus fuerat, nescio qua causa in cerebrum esse translatum, et mortis causam deinde extitisse. Postremo, vix dubium est, quin seri vasis cerebri effusi, ubi nulla hydropis suspicio subest, e turgescente aut citato per eadem vasa sanguine, pendeat origo. Ergo quarta, quinta, et sexta causarum divisiones in unam omnibus communem conditionem conveniunt, et morbum ab ea pendere demonstrant. Porro, sine eadem aut consimili conditione, stimulos epilepsiam diuturniorem vix dare, hinc apparet; quod non semper sed diversis circuitibus agunt, licet semper ipsi subsint. Neque manifestius quicquam est, quam nihil posse totam causam esse, quod non solum et sine auxilio effectum edit. Meninges osseas saepe epilepsia, longe tamen

* Cull, prael. clin. Lieut. lib. 3. obs. 376. 377.

tamen ſaepius non, ſubſequitur *; et ubi ſequitur, et ab illis excitata videatur, id non niſi interpoſitis intervallis efficit, ut facile alia cauſa opus eſſe, videas. Quam eandem ac modo memoratam eſſe, ſcilicet plenum cerebri vaſorum habitum, tam ſigna morbi quam curatio evincunt. In Actis academiae ſcientiarum, inciſo epilepſia perempti cadavere, meninges in oſſea anguloſa acuminata verſae repertae ſunt. Cujus morbi intervalla fuiſſe, curationem, largas humorum detractiones, memoriae proditur. Quinetiam quicquid ſtimulus ad epilepſiam faciendam valeat, id in ſanguinem ad cerebrum citando, et ſtatum vaſorum hujus inflammatum aut turgeſcentem inferendo, conſiſtere veriſimile eſt. Ergo ratio, qua ipſi ſtimuli agunt, in plenitudine conſtare videtur. Quod autem non ſemper agunt, id ſit, quia cerebrum non ſemper attingunt. Quod qua ratione fiat, noſtram accipe conjecturam. Cerebrum in illos impelli poteſt, illi in hoc nequeunt. Sanguis in vaſa ejus congeſtus haec diſtendit; quae diſtentio totam cerebri molem adauget; quod, in ſtimulorum contactum ruens, epilepſiam demum efficit. Quae ſic excitata commota vulgo dicitur. Quod ad ſecundum caput attinet,

* Cull prael. clin.

net, acrem materiae, quoties vere ſubeſt, naturam poſſe noxam et ſine plenitudine efficere, haud eo inficias. Verumenimvero, acris materia tamdiu permanere nequit, dum epilepſiam diuturnam efficiat; aut, ſi quando in diuturniore morbo reperitur, effectus morbi, non cauſa eſſe, habenda eſt. Sanguinis autem ad cerebrum citati, aut inflammationis, cauſas plerumque ſequitur *. Confer autem hoc cum tertio cauſarum capite. Dubium non eſt, quin iners doloris expers moles, cerebri ſpatium occupando, epilepſiae haud raro ſit origo. Cujus utique effectus diverſe explicatus eſt. Verum, ut rationes vitem, impedimenta talia, reſiſtendo ſtimulare, ſanguinem per libera vaſa, ob calloſam duritiem tranſeuntem percitare, et ſic turgeſcentem et plenum cerebri habitum, ideoque epilepſiam, creare poſſe videntur. Secundum igitur et tertium cauſarum caput huc redeunt, ut ſi non recta, effectu tamen et eventu, turgida cerebri vaſa reddant et epilepſiam efficiant. Itaque MORGAGNIUS tenſionem talem his inductam epilepſiae frequentem originem ponit. Ergo, quod evincere ab initio volui, haud obſcure ſequi videtur: Scilicet plenum turgentemve vaſorum cerebri ſtatum, ſi non ſola eſt, eſſe praecipuam et longe ſaepius incidentem epilepſiae cauſam,

* Cull. prael. clin.

causam, quae vel per se absoluta sit, vel, occasione oblata, morbum simul inferat. Atque hae omnes causae intra caput consistunt. Nunc ad eas, quae in alias partes prius, deinde in cerebrum, agunt, transeundum est.

Causae remotae extra cranium, etiam excitando cerebro, agentes.

Earum primae sunt validi impulsus, qui non specie, sed vi agendi aut sensibus reflexis excitandis, agunt. E quibus utique odores excipiuntur, qui propria quidem vi speciatim morbum faciunt *. Reliqui sensus communi omnibus potestate in vi posita ita nocent, ut qui sensus, modo valide satis agat, nihil referat.

Itaque cujusvis partis dolor epilepsiam facere potest. Quod quidem effectum, vehementiae causae partem distendente, et acutum doloris sensum excitante, explicabile est. Neque tamen celandum est, multa irritamenta epilepsiam, ubi neque doloris nec tensionis modus par sit effecto, concitare; id quod, in dentitione puerili, ac multo etiam certius in

* Cull. prael. Clin.

calculis

calculis aut vermibus aetate teneros adficientibus, evenit, ubi nullus aut perexiguus dolor ad epilepſiam faciendam ſaepenumero ſatis valet *. Neque dixiſſe auſim, ſitne hoc partis irritatae naturae, an impulſus rationi, tribuendum. Metus haud dubio certo modo agens imprimis ſedat reprimitque. Verum, cum idem alia modo agens manifeſto ſtimulet, quantenus id efficiat, haud dubito ejus effecta cerebri vaſa replentibus adnumerare; eoque magis quod etiam haec metus natura eſſe videtur, ut, licet alibi ſedet, alibi tamen ſtimulet; quae ſtimulans ejus vis in cerebrum praecipue converti percipitur; id quod non ſigna circa caput plenitudinis ſolum, ſed et curatio epilepſiarum metu natarum, per humoris detractionem, documento ſunt. Itaque, ut alia exempla omittam, puer quidam nauticus, qui maximum naufragii periculum adierat, epilepticus factus, CULLENO curandus, in Noſocomion noſtrum venit. Ei, ante unamquamque curationem, caput cum ruboro intumuit; in altero oculo macula ad tempus uſque juſtae acceſſionis latius rubeſcens apparuit; curatio ſola efficacior abſtinentia et detractio fuit. Quem utique ex ſolo metu in epilepſiam incidiſſe, neutiquam eſt dubitandum. Quae res multis aliis adfirmatur exemplis. Sed de metu

* Cull. prael Clin.

tu pro diversa noxa habendo postmodo verba fient. Porro, in alias partes prius agendo, chemici impulsus aut irritamenta cerebrum demum adficiunt, et epilepsiam inferunt. Quorum propriam actionem, quia nescius ejus sum, explicandam, aut ipsas res dinumerandas, non putavi. Neque amplius dicendum, opinor, quam alias earum recta stimulare, alias ex toto vel magna ex parte sedare. Item aliae totum corpus, aliae solum stomachum male habendo, nocent. Totum corpus male habent exanthemata retropulsa aut ex ulceribus suppressa profluvia. Quae ideo prae caeteris epilepsiae causa existimata sunt, et per acrem materiem intus retentam obesse; quod saepe fieri concedo. Nihilo tamen incertius est, copiam non naturam retentorum, aliquando ordinis nervosi motus mutationem factam, in causa noxae esse. Copia autem agit partis adfectae tensionem, et sic universarum atque ipsius cerebri augendo. Hae vero causae quae, extra cerebrum prius agendo, deinde hoc adficiunt; id, eundem cerebro, scilicet plenum habitum, dando, effecti fere praestant; ut nihil referat, an in ipso cerebro noxa, an aliunde coepta, eoque perveniens, morbum tandem moveat.

Jamque, non rationibus exilibus infirmisque,

firmisque, sed fidis observationibus experimentisque apertis, probasse spero, epilepsiae sedem cerebrum, et longe illius frequentissimam originem hujus plenum turgentemve statum esse. Quae doctrina in obscura adeo morbi natura alicui ad curationem usui, spero, erit. Quippe unde disci clare possit, qua cura turgenti epilepticorum cerebri sit habitui invigilandum. Quam quidem observationem, praeter argumenta adlata, universi medicinae annales confirmabunt; ubi nonae e denis curationibus, in habitu supra comprehenso tollendo, sunt versatae; licet id non certiore aliqua morbi notitia, sed coeca et temeraria empyricorum consuetudine, eoque vix unquam sibi constante, et in contrariam medendi viam saepe deflectente, factum sit. Eandem hanc doctrinam Van Swietenius primus, sed imperfectius, proposuit. Quam deinde supra relatus vir Lieutodius, sed nullo consilio, nulla causae proximae ratione habita, visis in cadaveribus illustravit.

Quo fit, ut neque ipse doctrinam in ullum usum deduxerit, neque legentes multum inde fructum percipere queant. Solus igitur, qui in clariore monumento rem posuerit, est il-

D lustris

lustris imprimis vir, Praeceptor noster CULLENUS. Is, tam in praelectionibus, quas hac hieme super aegrotantes in Nosocomio, quam in iis, quas de pleniore usus medendi orbe, superiore aestate, habuit, *Caeca regens filo vestigia*; errantes per tenebras in certiorem nos tramitem deduxit; et, exemplo uno proposito, quem fructum ex visis in cadaveribus de reliquis rebus capere liceat, publico medicinae, ut semper, attentus, immo devotus, bono, ostendit.

VERUM nunc fatendum est, quae supra tradita sunt, non proximam totius morbi caussam eruere; ac ne ad communem illam caussam sine exceptionibus, de quibus mox est loquendum, ducere. Ideoque longe frequentissimam, sed non solam et perpetuam epilepsiae originem cerebri plenum aut turgentum habitum, posui. Nam et stimuli mechanici possunt ita vehementes esse, ut quoslibet epilepsia adficiant, neque causa supra posita egeant. Quae tamen res nostrae doctrinae utilitati nihil detrahit, siquidem tales casus insanabiles sunt *.

PORRO, si qua in re effectum stimulorum mechanicorum anceps sit, sive aliter ac statuimus a-

* Cull. prael. Clin.

gant,

gant, neque id praesentem doctrinam turbat; siquidem ab iis quoque noxa illata immedicabilis fere reperitur *. Quoties enim abscessus cerebri inciderit, quis salutem spondeat?

Postremo, non celandum est, aquam, nulla praeeunte plenitudine, cerebro suffundi posse. Quod ubi fit, ex hydropico aut cahectico reliqui corporis aut partis alicujus habitu oritur, hujus signis alibi adparentibus dignoscendum. Estque is casus verus hydrocephalus internus, conjunctus epilepsiae, omni arte major. Verum, intra has aut similes exceptiones, nihildum subtilius aut ad rationes magis pertinens proferam, quam omnes causas, quas ad illam communem retulimus, cerebrum excitando agere.

Exposita igitur cerebri conditione, scilicet pleno et excitato habitu, ex qua frequentissima epilepsiae origo trahenda est, an contrarius aut alius status eandem faciat, inquirendi jam tempus est.

Causae callabefaciendo cerebro agentes.

Causae diversae agentes nunc tractandae,

* Cull. id. ibid.

collabefaciendo

collabefaciendo * cerebro, agunt, et ſunt primum cum ſyncope communes; ideoque epilepſiam cito vel in mortem vel in integritatem tranſeuntem creant. Diuturniorem morbum ideo non dant, quia ſtatus quem inferunt diutius vita integra conſiſtere nequit. Multa autem hujuſmodi et in vita communi memorata, et in medicinae annalibus obſervata, quae homines epileptica quaſi ſyncope ſubito adficiunt, ſaepe e medio abreptos tollunt, literis ſunt prodita.

Quorum in numero ſubitae et magnae animi commotiones ſunt, ut terror ſubito injectus, aut ſummum gaudium repentinum, aut ſimilia; quae paralyſin, dein apoplexiam, tum ſyncopen, et mortem intulerunt. Quae tamen in praeſentia diuturniorem epilepſiam praecipue tractantibus, et cum aliis morbis communia vitantibus, nobis omittenda videntur.

Longiorem vero epilepſiam dant nonnullae animi perturbationes, qualium praecipua metus eſt. Hujus ratio agendi, quam alio modo

* Quid ſibi velint verba *excitare* et *collabefacere*, *excitatio* aut *collapſus*, ſcire cupidos, ad Culleni praelectiones rationales, aut capita earum jam in omnium diſcipulorum manibus aliorumque, relego.

aut

aut aliis ſub rebus aliam eſſe diximus, ideo explicatu eſt difficilis. Quam utique ſic explicandam duco. Metus vim poteſtatis nervoſae cum alibi, tum praecipue in cerebro, imminuit, excitationiſque minus praeſtat. Eandem modicus metus ſedat, et pro tonico agens abnormes motus corrigit. Quo pacto major aut ſummus, qui modus ejus terror vulgo dicitur, agat, modo ſub epileptica ſyncope dictum eſt. Idem eventu contrarius nimis vim nervoſam ſedando, ſeu excitatum ſtatum imminuendo, ejuſdem hujus renovatam et majorem actionem inferre, et ſub certis rebus motus enormes excitare poteſt. Metus morbum renovare, quin et morbi notio renovata, et, in conſuetudinem jam deductum eundem, quaelibet res praeter ſpem accidens, reducere poteſt. En exemplum illuſtre! quod optimus vir Cullenus in ſchola ſe audientibus memoravit.

Mulier quaedam gravida novam ſtolam ſibi fieri juſſit, quae dum paulo diutius a ſutrice aptatur, illa ſtandi taedio in animi defectionem incidit. Idem bis tentatum eundem effectum habuit. Immo ſtola in conclavi poſtea forte conſpecta defectionem reduxit; nec prius veſte uti licuit, quam partus perfectus diverſam corporis conditionem et poteſtatem

utendi

utendi attulit. Forſitan ſimiles aliquae animi notiones epilepſiae ſimulatae origo ſunt; quibus motibus animum eſſe attentum, creditu difficile eſt. Item certus ventriculi habitus, qui in atonia conſtare videtur, facit epilepſiam. Cujus rei luculentum dicit teſtimonium GALENUS, hominem quendam toties in epilepſiam cecidiſſe, quoties tempora cibi ſumenda differebantur. Neque quaedam ventriculo recepta minus morbum inferunt. CULLENUS ipecacuanae fumos *, alii mercurii uſum †, alii carnem ſuillam ‡, alii ranunculi hortenſis plene florentis odorem ||, alii oleum juniperi in nephritide adhibitum §, alii gallapae et ſcammonii reſinam ¶, alii hyoſciami fomentationem **, alii cicutam aquaticam ††, alii carbonum vapores ‡‡, et ſimilia venena, alii corticem Peruvianum, epilepſiae originem fuiſſe

* Cull. praelect. pract.

† Shenk. Lib. 100. pag. 78.

‡ Heiſt. anat. obſ. p. 488.

|| Eph. n. e. D. ii. A. 9. et 10. ob. 92.

§ Eph. n. e. D. i. A. 2. obſ. 8.

¶ Av. ob. 162.

** N. e. D. 2. A. 1. ob. 135.

†† Eph. N. C. D. ii. A. 6. 225. Webfer. hiſt.

‡‡ Hoff. tom. 3. p. 13.

commemorant;

commemorant: Quae partim in ventriculum, partim latius in corpus agendo, nocere videntur.

Neque ii audiendi ſunt, qui mercurii noxam in ipſo eo ad cerebrum perlato poſitam exiſtimant. Quia et ratio ejus ſic agendi explicatu difficilis eſt, et talium epilepſiarum per electricitatem curatio ſemimetallum non tam ipſum cerebrum protinus, quam totum corpus latius movendo, agere ſignificat. Venenum varioloſum, epilepſiam faciens, bonum ſignum eſſe creditur. Quod pro ſtimulo forſitan agere, ideoque non ad hanc cauſarum diviſionem pertinere, videatur. Verum, virus varioloſum, mobilitatem et laxitatem toti corpori dando, plus prodeſſe, quam vi venenoſa obeſſe, et facultatem pernicioſam a medicatrice facile compenſari, multo veriſimilius eſt.

Restat alia epilepſiae cauſa, ſcilicet aura epileptica, ſaepius ab extremis artubus ad cerebrum, quam ab hoc ad illos perveniens, id quod partes inter extrema et caput circumligatae acceſſionem prohibentes, et nervi contra irritatio eam reducens, probant. Quae cauſa, quoties recta a ſtimulo oritur, excitando agere, et ab hac cauſarum claſſe aliena eſſe videtur. Contra eadem ad cerebrum perducta,

et

et ſenſus extinguens, illius collapſum faciendo, forſitan agit.

Postremo cauſa ad hunc locum pertinens, cerebri compreſſio eſt. Eadem ſaepe apoplexiam aut paralyſin facit, quae ideo toties epilepſiam ſequuntur, aut ſimul cum ea incidunt, quippe quibus in omnibus morbis eadem in cerebro inciſo cerni ſoleant. Quod autem hic aut ille morbis fiat, a diverſo quaſi collapſus gradu pendet. Nam apoplexia et paralyſis, toties epilepſiam ſequentes aut comitantes, ſuſpicionem creant, epilepſiam a minore collapſu renovatam excitationem recipiente, illas a majore collapſu novam excitationem magis reſpuente, oriri. Ante dictum eſt, epilepſiam ab habitu inflammationis aut haemorrhagico plerumque innaſci. Verum, quoties apoplexiam hydropicam praecedit epilepſia, toties haec a cerebri collapſu naſci putanda eſt.

Seminia ſeu cauſae proegumenae.

Causa morbi periculum praecipue faciens eſt mobilitas. Qui facillime ſpe elevantur aut metu deprimuntur, qui in gaudium aut iram proni prae caeteris ſunt, aut ſubita qua-

que

que animi perturbatione commoventur, eos magna animi mobilitate eſſe dicimus, et cerebri habitum huic reſpondere, quod unoquoque impulſu unaquaque tenſionis mutatione facile adficiatur, judicamus. Quae mobilitas, ſingulorum motuum inſtar, qui uſu et conſuetudine faciliores fiunt, conſuetudine augetur, et conſueta tandem ac quaſi naturalis evadit Hinc quoque epilepſia ſimulata. Hanc mobilitatem ſubitus quiſque animi motus facit, factam auget. Utque natura magis ſaluti noſtrae quam voluptati conſuluit, ita metui magis quam gaudio ſumus opportuni. Itaque nihil metu potentius ad amplas cerebri oſcillationes dandas, ſeu mobilitatem hanc faciendam, et factam augendam, reperitur.

Eodem certi voluptatis ſenſus pertinent, quae praecipue in certis titillationis modis conſiſtit. Quin et, cerebri et nervorum motus in talibus oſcillationibus conſtare, nihil certius probat, quam quod unaquaeque titillatio motus convellentes, ejuſdem ſumma vis juſtam epilepſiam, creant. Summa autem illa titillatio, qualis venerea voluptas eſt, mobilitatem, de qua loquimur, imprimis auget; aucta mobilitas acutum magis voluptatis ſenſum

ſum et deſiderium creat. Quod voluptatis effectum in excitando cerebri actionem conſiſtit, et doctrinam noſtram de excitatione, ut praecipua epilepſiae cauſa, confirmat. Sed et eadem res alterum effectum trahit, et alterum de ejuſdem morbi cauſa opinionem noſtram illuſtrat. Unaquaeque excitatio collapſus occaſionem dat; id quod ARISTOTELIS celebre dictum,

Omne animal poſt coitum triſte,

docentis, et HOGARTHI pictura ridicula, quam Poſt et Ante inſcripſit, item vox vulgaris effoeminari viros mulierum conſuetudine ſignificans, oſtendunt. Porro, cum omne debilitatis, mobilitatis quoque, exemplum ſit, ita voluptas, debilitando, mobilitatem ſimul infert. Hinc venus frequentiſſima epilepſiae cauſa. Quinetiam epilepſia ſaepius repetens ejuſdem mobilitatis, ac proinde ſui ipſius, cauſa potens evadit.

CUJUS mobilitatis, quo adcuratius eam et proximam cauſam illuſtrem, hae cauſae ſubeſſe videntur: Primum, fibrarum debilitas, id quod tenerarum aetatum exempla explanant, quae primo quoque tempore maxime mobiles, prout adoleſcunt minus uſque, fiunt; dein eadem fibrarum

brarum ſeu ſtaminum noſtrorum debilis aut diverſa conditio poteſt diverſam quoque humoris nervoſi conditionem, puta meabilitatem nimiam, indere. Quam quaeſtionem, ne ſubtilia perſequi videar, omittendam, et res conſiderandas, judico. Porro, cum eadem hac fibrarum debilitate, mobilitatem auget tenſionis ſive exceſſus ſive defectus; ſcilicet, quemadmodum chorda elaſtica, quo magis intenſa, eo graviori vi aut pondere in majus intenditur; ita certus tenſionis modus debitum robur fibris noſtris addit, quae contra, majore juſto tenſione diſtractae, largiores juſto oſcillationes, reſolutione facta, peragunt. Idque exercitatio, calor, ebrietas, epilepſiae frequentiſſima occaſio, comprobant. Quam reſolutionem crebro fieri neceſſe eſt, ſiquidem tenſio illa, quae ex copia et impetu humorum pendet, crebram reſolutionem recipit. Quae omnia eo ſpectant, ut plenus habitus praecipua mobilitatis origo ſit; primum quia idem unamquamque fibram nimis intendit; dein quia cerebri tenſio a vaſorum tenſione magna ex parte pendet. Somnus quoque periculum morbi facit. Ita Du Haenus pueri caſum tradit, in epilepſiam ex ſolo ſomno incidere conſueti. Cui contra rectus corporis habitus ſomnuſque interdiu propulſus ſemper

levamini,

levamini, et ex ejus rei ratione tracta ingeniosa medici ars, saluti ex toto fuerunt. Cujus rei ratione cum MORGAGNIO ita explicandum judico; scilicet, per somnum corpore etiam recto, certiusque usque supino, sanguis ad caput congeritur. Fierique potest, ut vigilia, inter alias causas, huic naturaliter debeatur.

NOVISSIMA causa incerti operis est, scilicet vis siderata. Nam lunae quasdam phases, praesertim solis vi adjuncta, epilepsiam constat fecisse. Sed quomodo id fiat incertum est. Nulla enim aëris mutatio coelestium corporum circuitus comitari percipitur. Quocirca dictu difficilius est, vasa sanguifera an nervorum naturam moveant; nisi quod hoc convenire videtur, coelestium corporum commutationes quasdam alios morbos, qualis apoplexia est, vasa cerebri turgida reddendo, facere. Unde sequi videatur, illorum vim in vasa sanguifera verti. Quo tamen magis verisimile est, cum animalium nervorum natura, in manifestis circuitibus coelestium meatuum constet, eam quandam cum iis adfinitatem habere, iisque tam in secunda quam in adversa valetudine commoveri *. Cujus utique rei rationem, in longas explicationes ducturam, nos, discendi cupidos, ad CULLENI nostri praelectiones, de

* Cull. prael. clin.

de nervosi generis circuitibus, ad HIPPOCRATIS et antiquorum de diebus judicatoriis, item CLEGHORNII de insulae Minorcae morbis, observationes relego.

RATIO CURANDI.

SIC adfectibus, causis, et natura morbi expositis, ad curationem jam transeundum est. Ea autem in quatuor partes redire apte videtur. Prima est plenum corporis habitum solvere; deinde corporis mobilitatem tollere; tum potestates nocentes cavere; postremo, in certis casibus debilitatem ejusdem removere, et corpus roborare.

QUOD ad primum consilium medendi attinet; non solum plenus corporis totius habitus, sed praecipue humor, sive sine inflammatione seu cum ea, ad caput congestus, subtrahendus cum cura est. Quod, quoties fieri potuerit, efficacissimum ad salutem erit. Cui consilio sanguinis detractio, alvi purgatio, fonticuli et inedia, respondent.

SANGUINIS detractio, quod dolendum imprimis est, anceps est remedium. Nam, licet primo effectu levamini est, tamen, in consuetudinem deducta, malum, contra quod paratum fuerit, auget, et pleniorem usque habitum

bitum creat. Ergo, quando eo opus remedio est, quod utique in omni epilepsia in turgente cerebro posita nunquam est omittendum, quam maxima copia vitalis humoris projici debebit, contraque caveri a consuetudine exiguae copiae, sed saepius mittendi. Magna enim sanguinis jactura diu non reparatur; modica ejusdem copia saepius demi consueta plus usque gignit. Id quod mos vitulorum, gulae causa implendorum, inter alia plurima, addocet. Neque id, quod in proverbio ipsi vulgo est, scilicet, Quo saepius sanguis detrahitur, eo obesiores homines reddi, non etiam confirmat.

IDEM vasis circa caput sive venis sive arteriis detractus antiquitus est; quod non sine ratione fieri recentiora exempla confirmarunt *. Sanguis pedibus ademptus, mulieribus gravidis auxilio saepe fuit †. Postremo, unum alicubi praeceptum video, sanguinis detractionem non ad animi usque defectionem, sive copia sive incuria id faciat, esse persequendam, ne accessio sic excitetur ‡. Cumque alii homines plus, alii minus, sanguinis ademptum ferant, cautio Culleniana op-

* Van Swiet. tom. 3. p. 441.

† Hoff. tom. 3. p. 15. 17.

‡ Araet. lib. 2. p. 128.

tima

tima eſt, ut ille eouſque dematur, "*dum vires* "*facile ferant.*"

FONTICULI autem et ſetacea, quae dicuntur, praecipuum inter plenum habitum imminuentia locum obtinent. Neque ob aliam rationem non etiam auxilio eſſe videntur. Nam, humores uſque ad partem ubi ſunt attrahendo, a cerebro ſimul revocant, et quo minus hoc turgeſcere perſtet prohibent *.

QUOD ad alvum purgantia attinet, non eadem cura iis ac ſanguinis detractioni moderandi opus eſt. Neque enim plenitudinis periculum eventu pariter adferunt. Solumque metuendum, ita ac in rebus omnibus, perpetuum hoc eſt, ut ne quid nimis. Nimia enim alvi purgatio corpus debilitare poteſt, quae aliquando epilepſiae, ut ante eſt monſtratum, origo eſt. Verum in longe plurimis caſibus, quos in plenitudine de qua hic agitur poſitos uſque dictum eſt, larga alvi purgatio prodeſt †. Neque ea non ſemper quam molliſſima ſervanda eſt.

ATQUE haec omnia humores detrahentia, praeter demptum cerebri aut totius corporis plenum habitum, in morbo qui ſaepe a cerebri vitio immedicabili pendeat, uſui eo reperi-

* Cull et alii.

† Cull. prael, Clin.

untur,

untur, quod noxa qua cerebrum turgefcit illis faepe lenitur. Itaque homini cuidam, cui offea in cerebro reperta funt, fanguis ademptus femper prodeffe dictus eft.

Quibus utique auxiliis inedia haud paulo potentior eft *; quippe quae longe plurimos juvet. Id quod illuftri exemplo Taylerus medicus Croydenenfis expertus eft; quem, inedia diu epilepfiae ereptum, ad plenum victum, cui prius affueverat, reditus fuftulit e medio.

Verum, ut morbus non femper in cerebri folius vitio, fed in habitu quodam cum hujus tum univerfi generis nervofi latius faepe conftet; ita ejus rei caufa, fecundum medendi confilium, confiderandum eft. Is habitus fic latius nervos adficiens mobilitas eft; cujus variae caufae funt. Nam, quia cerebri turgorem epilepfia non femper fequitur, atque etiam aliquando fine eo incidit, ut ideo alius habitus, five cum turgore feu fine eo, morbo fubfit, neceffe eft. Ergo mobilitatem tollunt primum antifpafmodica, dein tonica medicamenta; nec eodem pertinens vivendi ratio omittenda eft.

Ex antifpafmodicorum numero funt, camphora, oleum animale, mofchus, aether, valeriana, peonium, opium, hyofcyamus. Quae,

* Lieut. et Cull.

quo

quo modo agant vix ratione conceptum eſt, niſi quod in nervos agere, et mobiles habitus firmare videntur. Quae ignorantia quo minus mira videatur, fatendum eſt qua in re quaeve nervorum aut humoris mobilitas, in quam agant, conſiſtat, etiam obſcurum eſſe. Quod ſi multa eorum quotidie nihil aut parum in epilepſia agere dicuntur et comperiuntur, id fieri quidem poteſt ob idoneam ea adminiſtrandi rationem neſcitam; ſed magis quia idoneo tempore aut copia non dantur; et magis etiam, quia morbus adverſus quem adhibentur ſaepe immedicabilis eſt. Veri autem ſimile eſt, quicquid poſſint, id ſolum aut praecipue praeſente morbo poſſe, et hunc ante aut poſt, ideo inutilia eſſe, quia facultas qua agunt perquam brevis et fugax eſt. Quocirca eorum uſus acceſſionis tempori accommodandus videtur. Nam hora ante acceſſionem efficacia eſſe, die ante nihil efficere, ſaepenumero nunc compertum eſt *. Quin et praeterquam quod effectus eorum aliquo ab acceſſione temporis intervallo datorum perit, eundem multum imminuit, ac tandem inutilem, niſi maxima ideoque incommoda copia datur, ſaepius dandi conſuetudo reddit. Sic enim medica-

* Cull. prael. clin.

menti vis fugax prius extinguitur, quam ſpaſmus ea tollendus ſuboriatur. Itaque venerabilis, de quo toties locuti ſumus, praeceptor noſter CULLENUS, niſi prope acceſſionem aut in ipſa hac, illud medicamentorum genus fere ſemper omittit. Ob quam cauſam obſcurum eſſe nequit, quoties incertis circuitibus morbus repetit, antiſpaſmodica nihil valere.

CAMPHORA, quae alias parum potens reperta eſt, adverſus ſpaſmum praeſentem ſaepe potenter agit. Oleum animale multum nec injuria forſitan adverſus ſpaſmos epilepticos et ſimiles laudatum eſt. Quod ſi medicamenta, quae in nervoſam naturam agunt, prae caeteris odorata et volatilia ſunt, quod non veriſimile non eſt, hoc adverſus epilepſiam plurimum valiturum ſuadet ratio. Neque rationi etiam experientia repugnat. Utque febribus intermittentibus, ita, opinor, epilepſiae occurret. Moſchi virtus, quoties ſatis purus parari poteſt, ſatis jam confirmata uſu eſt.

AETHER, ob volatilem et penetrabilem ejus naturam ſolus haud inefficax, cum moſcho conjunctus haud ſpernendo auxilio eſt. Laudantur et valeriana ac peonium, ſed nobis neſciuntur.

OPIUM ab aliis in epilepſiae curatione rejectum duo viri DU HAENIUS et magnus MORGAGNUS

GAGNUS commendant. Quod utique anceps eſt in hoc morbo remedium; nam ut ab altera parte inebrians ejus vis ſanguinem ad cerebrum citat, et magna copia datum debilitatem cum irritabilitate in corpore relinquit, et ſic nocere periclitatur; ita ab altera mobilitatem nervoſam, et humoris nervoſi meabilitatem, in qua ſpaſmi poſiti ſunt, imminuendo, prodeſſe poteſt.

OPIO conſimili natura hyoſcyamus eſt, a quo ſolum diſcrepat, quod alvum non ita ac opium adſtrictam relinquit. Quem tamen STORKIUS bonum in epilepſia eſſe, nec, ut videtur, ſine juſta cauſa praedicat. Verum iis omnibus antiſpaſmodicis haud paulo adverſus epilepticam mobilitatem potentiora tonica conſtat.

QUAE praecipue reſpondent adſtringentem vim poſſidere videntur; qualia ſunt e plantarum genere, item e metallis parata; quin et frigidam lavationem, et metum ſimiliter agere, aut idem praeſtare effecti, veriſimile eſt. Ex plantarum natura quaedam ſimpliciter magis adſtringunt, qualis viſcus quercinus eſt. Is, propria ſibi vi, quam ſpecificam nominant, adverſus epilepſiam agere ſuperſtitioſe creditus eſt. Neque aliquando adſtringens ejus natura non prodeſſe non poteſt. Qui tamen

fruſtra

fruſtra ſaepe, teſte CULLENO, adhibitus eſt. Ac neque ei neque aliis pure adſtringentibus, quippe quorum uſum experientia non firmarit, multum confidendum eſt. Quibus igitur multo magis cortici Peruviano inſiſti ſolet. Neque is alioquin tam pleno habitui, quam mobilitati nervoſae tollendae, accommodatur. Nam habitibus profluvioſis, aut cum inflammationis periculo conjunctis, ille manifeſto obeſt. Abſtinendum igitur eo in ea corporis plenitudine eſt, quae, ſanguine ad caput percitato, effuſionis aut inflammationis creat periculum. Sed quia plenitudo in qua epilepſia plerumque poſita eſt, non ſaepe profluvium aut inflammationem minatur, id quod ſanguis, in convulſionibus diſſolutus, licet extra has inflammationis notam praeferens, oſtendit; ergo nihil obſtat, quo minus cortex Peruvianus, pleno habitu remediis memoratis jam ſublato, contra mobilitatem cum fructu uſurpetur *. Qui fructus, cum effectus hujus remedii minus diuturnus ſit, niſi in morbo certis circuitibus redeunte, optimus non erit. In circuitibus idoneo tempore dandi ejus facultas permittitur. Poſtremo, quoniam ejuſdem

* Cull. prael. pract.

uſus

uſus diuturnior ab arthritide alienus eſt *, ab epilepſia etiam poteſt; ſaltem ejus aſſumendi conſuetudo laedere ventriculum, ut alibi ſaepe, ita hic periclitatur.

E metallis adſtringentia parata, quanto potentiora tonica ſunt, tanto et periculoſiora. Arſenicum epilepſiae, pariter et febribus intermittentibus, remedio eſt. Multa etiam de tonica nonnullorum e ſtanno confectorum virtute praedicata ſunt. Cui ſimilem fore plumbeorum virtutem rationis ſimilitudo ſuadet.

Quorum omnium tantum habet periculi virtus, ut eam qui experiatur vix quiſquam ſatis audax repertus ſit. Neque e cupro paratorum, quae ſola et proſpere interdum adhibentur, niſi effectus optatus citius ſequitur, diuturnior uſus tutus eſt. Quorum tamen delectus quidam habendus eſt. Van Swietenius unum momorat quod corpus, ventriculo adfectus experte, movit. Quod quomodo paretur neque is neque nos novimus. Verum cum eorundem medicamentorum vis emetica tonicae obſtet, ea quae minime illam praeſtant, reliquis anteponantur.

* Id. ibid.

Hic

Hic cuprum, quia cum ſale neutro mitiorem medicinam, quam cum acido conjunctum, edit; ideo cum ſale ammoniaco, nomine cupri ammoniaci, componitur. Pro quo, quia an multo reliquis aliter paratis praeſtet incertum eſt, ſi quando praeſto non eſt, illa adhibere licebit.

Frigidam lavationem, cum alii multi, tum Cullenus noſter, validum adverſus epilepſiam auxilium eſſe, et mobilitatem quamlibet auferre, teſtantur. Metus quoque, ſaltem eventu, tonicis adnumerandus eſt. Nam licet reliqua in nervos agere, et horum motum ſedare, ideoque firmare veriſimile ſit, is ipſius cerebri actionem reprimere et collapſu faciendo actionibus nervoſis firmitudinem dare videtur. Non tamen ſubitus metus, qualis terror dicatur, id facit, ſed metuendi conſuetudo ſeu formido aut reverentia. Cujus effectus eo validior eſt, quod diuturnus agere non deſinit. Idem in convulſionibus, ubi ſenſus non pereunt, quam in juſta epilepſia, ubi ex improviſo acceſſio incidit, melior reperitur; optimum auxilium! niſi quod et toleratu durum et adminiſtratu difficile ſit.

III. Quod ad tertium medendi conſilium attinet; licet morbi ſedem vel primo vel poſt

aliùs

alius partis labem eo translatam, cerebrum esse dixerim; tamen nihil verisimilius est, quam cerebri fixum aut diuturnius vitium non semper esse causam. Contra, is nervorum latius habitus, quem mobilitatem diximus, potest talis esse, qualis, sine priore alio quam consimili cerebri vitio, morbum concitare queat; cui casui remedio sunt mobilitatis occasiones devitatae. Itaque, si talem mobilem habitum intercidendi erit potestas, morbus vel sanabitur, vel saltem levabitur. Ergo, si mira illa animi vis imitatrix in culpa est, epileptici, qui communi domo utuntur, inter se segregandi sunt. Item subitus quisque aut validus impulsus, ut patefactae nec opinanter januae stridor, intrantiumque adventus improvisus, cavendus est. Item omnia quae sanguinem ad caput percitant, ut calor quilibet nimius, motus vehemens, crapula, satietas, terror, vitanda. Nec non omnes vertiginis causae, ut loci praecipitis despectus, et rerum celeriter in orbem circumrotatarum conspectus. Denique, qui partim ad caput sanguinem percitat, partim imbecillitatem creat, concubitui, qua licet aut fieri possit, parcatur.

Ex variis autem impulsibus, nullus strepitu magis dat epilepsiam. Ante omnia autem,

cum

cum mobilitati corporum epilepticorum animi quoque, ut dictum eſt, mobilitas reſpondeat; ergo commotiones animi omnes repentinae aut vehementes fugiantur. Quaedam mulier, ut nos certiores fecit CULLENUS, alioquin recta intuens, ignotos, retortis oculis, excito animo, ſemper adſpexit.

IV. UT ad poſtremam curationis partem progrediar; corporis debilitatem tollunt, idque roborant, ſecundo conſilio, ſcilicet tonica, reſpondentia. Verum, ut hactenus fere de pleno corporis et cerebri turgente habitu, ut cauſa, et humoris detractione ut remedio, locutus ſum; cum contrarius, ut jam plus ſemel praemonſtratum eſt, ſcilicet inanis habitus aut tenſio deficiens, aliquando epilepſiam faciat, quaedam, quae vaſa ubique adimpleant, illis contraria, jam memoranda ſunt. Illorum praecipua aut ſola ſunt victus ratio, aëris delectus, conſuetudinis adminiſtratio, aetatis venientis effectus; et ſi qua alia, hujuſmodi ſunt. Ergo, ex hac cauſa laborantibus, cibus plenior permittatur; qualis e carne et quam maxime alente materia eſt. Vinum generoſum detur, neque ad ebrietatem, ſed quantulum, ſine irritatione mobilitatis genetrice, corpus impleat alatque. Idque quam maxime ab aceſcente natura alienum et quam blandiſſimum ſit. Somni tem-

pora

pora media ſint, qui ejus modus, teſte CELSO, neque renuente experientia, corpori replendo adcommodatiſſimus eſt. Siquidem, ut ille ait, quicquid nimium ab utraque parte in ſomno eſt, ſive juſto longius ſive brevius, corpora attenuat. Coeli temperies modica, ſed potius in frigus inclinans, his de quibus ſermo eſt convenit. Nam calor omnis inanes et imbecillos in majus extenuat debilitatque. Vitandum quoque humidum omne coelum eſt. Exercitatio viribus apta, quaeque cibi deſiderium acuat, nulla vitetur; neque ullum melius praeceptum novi. Quibus imbecillus obſervationibus non pro tempore inſiſtat, ſed tamdiu dum ad corpus robur debitum integra valetudine redierit, et omne morbi periculum deceſſerit, aſſueſcat. Quod cum alias faciendum, tum maxime, ſi morbi mora pravo habitui adflictum aſſuefecerit. Nam talis aſſuetudo, niſi contraria aſſuetudine, haud temere ſuperabilis eſt. Itaque epilepticus quidam, qui complures annos tenui victu ſe fruſtra continuerat, cum pleniori iterum ſe tradidiſſet, multum, CULLENO teſte, levatus eſt. Neque mora aut diuturnitas ſola, ſed et vis morbi pravo conflictantes habitu adficit. Cui igitur habitus in contrariam partem reclinatus auxi-

lio eſt. Quod tamen, niſi vivendi ratione, aëris genere, et ipſo quaſi corpore penitus commutatis, fieri fere nequit *. Quod dictum non teſtimonia ſolum, quae multa ſunt, ſed et communis experientia aliunde etiam firmat. Nam quos aetate teneros epilepſia exercuerit, eos euntes anni et pubertatis magna mutatio morbo ſaepe liberat.

ABSOLUTA jam qua potui hac diſputatione, ſummi beneficii, doctrinae acceptae, immemor et ingratus forem, niſi a CULLENO optimas et limatiſſimas hujus diſputationis partes acceptas, maculaſque, mendas, errores, et ſi qua rudiore arte aut ineptiore tractata ſint, mea eſſe faterer. Cui, ut et reliquis praeceptoribus meis, ob utilem diſciplinae fructum, quem ex eorum laboribus capiendi mihi poteſtas fuit, et prae caeteris Doctiſſimo HOMIO, qui his beneficiis ſuam addere amicitiam non eſt dedignatus, ex animo gratias ago.

* Boer. d. M. N. tom. 2. p. 821. Hippoc. aph. ſect. 2. 45.

F I N I S.